RATIONES
OB QVAS
ILLVSTRISSIMVS DOMINVS
ARCHIEPISC. MECHLIN.
BELGII PRIMAS &c.

à promulgatione BVLLAE,

qua proſcribitur Liber cui titulus,

CORNELII IANSENII, Epiſcopi Iprenſis,


AVGVSTINVS,

ABSTINVIT:

ex mandato Regio allegatę, ac Catholicę Maieſtati exhibitę.

S. Proſper lib. contra Collatorem cap. 1.

Quidam habentes ſpeciem pietatis in ſtudio, cuius virtutem diffitentur in ſenſu, trahunt ad ſe multos ineruditos; & non habentia ſpiritum diſcretionis, corda conturbant: atque in eum ſtatum deducere cauſam Eccleſiæ moliuntur, vt, dum noſtros affirmant non veraciter pro gratia locutos, Inimicos gratiæ perſuadeant iniuſtè damnatos eſſe.



M. DC. XLIX.

IVſſus dicere cauſas, ob quas à Promulgatione Bullæ, quâ proſcribitur Liber cui titulus, CORNELII IANSENII, Epiſcopi Iprenſis, AVGVSTINVS, hactenus abſtinui, eas cum ſumma erga Sanctam Sedem, Regiamque Maieſtatem reuerentiâ, quantum patitur negotij grauitas, breuiſſimè exponam.

DIVVS AVGVSTINVS non minùs vitæ ſanctitate quàm rerum omnium, quæcumque ſub hominis intelligentiam cadere poſſunt, cognitione admirandus, ſicuti neminem in Eccleſia habuit qui cum illo, aut ingenij magnitudine, aut rerum diuinarum ſcientiâ ex ęquo conferri poſſet; ita in materia quę Dei gratiam ac prędeſtinationem, liberumque hominis arbitrium ſpectat, Doctorum omnium atq; adeo totius Christiani orbis conſenſu, principem ſemper poſt Apoſtolos locum atque auctoritatem tenuit, vtpote cuius ductu viginti ampliùs annis Catholica acies contra Inimicos gratiæ Dei pugnauit & vicit: cuius iudicio quidquid in hoc argumento difficile aut controverſum poſtea occurrit, Pontifices, Concilia ſanctique Patres definierunt: cuius denique doctrina velut ex intimis atque arcanis ſacrarum Litterarum fontibus exprompta, vniuerſæ Eccleſiæ adeo probata eſt, vt qui contra illam vel hiſcere auſi fuiſſent, grauiſſimè illico à Sede Apoſtolica reprehenſi ſint; & ſi non hæreſis notam, certè ſuſpicionem incurrerint.

Prodierunt tamen nonnulli annis abhinc circiter 70. qui nihil veriti ſunt (ſpretâ tanti Viri auctoritate, atque vno omnium per tot retrò ſæcula Catholicorum ſenſu) doctrinam eius palàm impetere, atque impari licèt conatu, aggredi ſolidiſſimam Eccleſiæ Columnam.

[a] Molin. in concordia quæſt. 23. art 4. & 5. diſp. 1. memb. 6.

[b] Ibidem memb. vlt. circa finē.

[c] ibid. circa medium.

Quos inter Molina Societatis IESV Theologus eò proceſſit temeritatis, vt ſcripto etiam tradere auſus ſit, [a] *Auguſtinum ſub quadam quaſi caligine conſtitutum, ea quæ ipſe deprehenderat non aduertiſſe:* [b] *nec dubitare ſe, quin eius de Prædeſtinatione ſententiam, rationemq́ue conciliandi libertatem arbitrij cum diuina gratia, Præſcientiâ & Prædeſtinatione, Auguſtinus cæteriq́ue Patres vnanimi conſenſu comprobaſſent, ſi eis propoſita fuiſſet:* quodq́ue [c] *ſi ea quibus ipſe innititur principia, data explanataq́ue ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare: neque ex Auguſtini opinione concertationibusq́ue cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ac ad Pelagianos defeciſſent, facileq́ue reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia (quarum in epiſtolis Proſperi & Hilarij fit mentio) fuiſſent exſtinctæ.*

Atque ita (ſi Molinæ credimus) in ſummo errore per tot annos verſata eſt Eccleſia, dum ſe putauit, confectô, Auguſtini ductu, formidoloſiſſimô bellô, verum ac iuſtum de Pelagianis eorumq́ue reliquijs egiſſe triumphum: atque ita tantoperè à Summis Pontificibus, Concilijs, Sanctiſq; Patribus com-

commendata doctrina, plus Ecclesiæ incommodi quàm vtilitatis attulit. Si quidem Pelagiani & Semi-Pelagiani quos debellandos Augustinus susceperat, eò magis in erroribus suis fuerint confirmati, turbatique Catholici ad eos defecerint, ipsique Lutherus & Caluinus ex ea hęresum suarum semina duxerint.

Hæc nupera Theologia, quam ipse Auctor *nouam* appellat, postquam ex Hispania, vbi fabricata fuerat, in has partes allata est, magnas repentè inter Iesuitas, & Vniuersitates Louaniensem ac Duacensem, turbas concitauit: quæ non mediocriter, vti par erat, offensæ; ac Duacensis insuper ab Archi-Episcopis Mechliniensi & Cameracensi, necnon Gandensi Episcopo, rogata vt suum de ea Iudicium proferret: postquam diu multumque præcipua illius capita examinarunt ac momentis suis expenderunt, grauissimâ eam censurâ perstrinxerunt. Molina d. memb. vlt. in fine.

Et Louaniensis quidem hisce verbis: "Sententia hæc diuinam bonitatem obscurat, Iustitiam" eneruat: Scripturis illudit: Patrum testimonia in" sensus alienos detorquet: humanæ rationis cor-" ruptioni applaudit: humilitatis fundamentum" euertit: precandi necessitatem non magnam re-" linquit: propriarum virium fiduciam ingenerat:" in salutis negotio quod præcipuum est, homini" donat; quod minus, Deo: gratiam Dei libero ar-"

„bitrio ſubijcit, ac eius pediſſequam facit: in ſum-
„ma à Pelagio non ſatis procùl abſcedit: Lutheri
„verò, Caluini & reliquorum noſtræ tempeſtatis
„hæreticorum ſententiam, dum ab ea videri vult
„quàm longiſſimè recedere potentiuſq; debellare,
„magis etiam imprudens ſtabilit atque confirmat.

E Belgio dehinc in Hiſpaniam contẽtione propagatâ, Salmanticenſis Vniuerſitas eandem non mitiùs habuit. Cumque ad Inquiſitionis Romanæ tribunal, tamquam à fide exerrans, tandem delata eſſet, ad eam diſcutiendam Clemens VIII. illam de auxilijs congregationem inſtituit, in cuius exordio ſuorum Prædeceſſorum exemplum ſecutus, Sancti Auguſtini auctoritatem egregiè ſtabiliuit, in hunc modum præfatus:

“Quàmuis nemini, niſi Deo, rationem reddere
„debeam mearum actionum; dicam tamen im-
„præſentiarum rationes propter quas adſtringere
„ſtatui totam hanc diſputationem ad normam
„doctrinæ Sancti Auguſtini de gratia.

„Prima eſt: quòd ſi (teſte B. Proſpero ferè ini-
„tio libri contra Collatorem) viginti annorum
„ſpatiô, acies Eccleſiæ ita dimicuit prò gratia con-
„tra Pelagianos, vt tandem Auguſtino duce vice-
„rit; oportet etiam vt in cauſa ſimili eundem du-
„cem agnoſcamus, & ſequamur.

„Secunda eſt: quòd idem Sanctus nihil videtur
„prætermittere eorum, quæ ad præſentes contro-
uerſias

„uersias pertinent: quandoquidem si agatur de ne-
„cessitate gratiæ, eam describit dicens; esse necesse,
„vt nos præueniat, comitetur & sequatur: si de vi
„asserit, vires efficacissimas præbere voluntati: si
„de effectu, testatur facere de nolente volentem:
„si de modo, asserit Deum id facere omnipotentis-
„simâ facilitate: deniq; sic dissoluit obiectiones, vt
„doceat liberum arbitrium non tantùm bene cum
„illa gratia quam defendit, cohærere; sed etiam
„fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum.

“Tertia tandem ratio est, quòd cùm multi Pon-
„tifices Prędecessores nostri, doctrinæ Sancti Au-
„gustini de gratia tam acres fuerint assertores &
„vindices, vt quasi hæreditario iure eam in Eccle-
„sia relinqui voluerint; æquum non est, vt patiar
„illam hâc quasi hæreditate priuari.

Hîc Molinæ sui patrocinium Iesuitæ suscipiunt, quàmquam alia omnia suaderent amicorum Consilia, atque imprimis Cardinalis Baronius [a] rogans ne eiuscemodi disputationibus Societatis existimationem in discrimen adducerent: tum plures è suorum numero, qui minimè omnium expedire iudicabant opinionem, ex vnius priuati hominis ingenio natã, ab vniuersã defendi Societate; [b] præsertim cùm ea opinio non multum abluderet, ex plurimorum sensu, à Pelagianorum dogmatis, iam olim ab Ecclesia damnatis.

“Monui „Reueren. „Patres „meos Soc. „Iesv, ne „existima-„tionem „illorum „in defen-„sionem li-„brorum „Molinæ „periclita-„ri sinant, „& in dis-„crimen „adduci. Hæc sunt verba à Petro Mattheo Hist. [a] Franciæ tom. 2. l. 7. ex litteris Baronij excerpta, qui testatur litteras authenticas se vidisse.

Ita

[b] Iacobus Fuligattus, & Siluester Petrasancta, Iesuitæ, in vita Cardinalis Bellarmini lib. 3. cap. 5.

c Bellarminus de gratia & lib. arbit. lib. 2. cap. 11. in fine.

d Idem lib. 1. c. 12. in princip.

Ita [c] certè inter alios sentiebat Cardinalis Bellarminus, qui dum agit de *Prædestinatione ex præuisis meritis* (quam Molina & Lessius sustinent) eam vocat manifestum errorem; & doctrinam quam isti impugnant, fidei articulum: vbi verò [d] tractat de efficacia gratiæ, quam ijdem *in cardinem voluntatis humanæ refundunt*, ait sententiam illam Scripturis manifestè aduersari, non longè distare ab hæresi Pelagiana, & prorsus subuertere fundamentum Prædestinationis diuinæ, quod D. Augustinus è Scripturis Sacris tam solidè deduxit.

e Fuligattus & Syluester Petrasancta lib. 3. c. 5.

Clemens VIII. postquam triginta septem Collationibus hâc super re habitis præsens adfuisset, iamque ad definiendam contra Molinam controuersiam sese compararet (vti ipsi Iesuitæ agnoscunt) [e] vitâ decedit.

Huius successor (post Leonem XI. qui non plures 26. diebus in Pontificatu exegit) Paulus V. eandem quam Clemens instituerat, congregationem instaurauit: cumque alijs decem Collationibus pariter interfuisset, quàmuis Venetorum motibus distractus, Bullam componi iussit, (cuius haberi exemplum, & authographum in Archiuis Pontificijs Romæ asseruari, fide dignissimi testes affirmant) quâ controuersia tota ad mentem D. Augustini decideretur, quinquaginta propositionibus Molinæ expresse disertèque damnatis.

Et quamquàm hæc Bulla promulgata non sit, ex ea

ex ea nihilominus manifestè patet, quis demum fuerit celeberrimæ Congregationis, totque Collationum siue disputationum exitus.

Cumque idem Pontifex, dum suam proferret & publicam faceret sententiam (quod se opportuniori tempore pręstiturum pollicebatur) vetuisset ne tantisper pars vna aliam argueret erroris; *hanc prohibitionem* Iesuitę, *quodq; nihil aduersus eos pronuntiaretur*, Causę secundùm se decisioné *interpretati sunt*: ideo nimirum quòd *nihil obtinere aliud hôc iudiciô contendissent, quàm vt Molinæ opinio ab erroris notâ libera discederet, quam se defendere, non vt veram, sed vt minimè erroneam* sub initio dictæ Congregationis palàm testati fuerant: adeoque passim apud omnes, gloriati sunt *in hoc conflictu palmam se ac victoriam obtinuisse.*

Cœpit exinde in scholis ac disputationibus publicis D. Augustini eiusque discipuli, D. Thomæ, doctrina minori pretiô haberi; ita quidem vt ad argumenta ex eorum auctoritate, in hac materia, deprompta, passim responderetur, *Transeat Augustinus, Transeat Thomas.*

Quod sanè cùm Salmanticæ contigisset, Celebris illa Vniuersitas aduersus audacem eiuscemodi nouitatem, iustissimo zelô succensa, operæ pretium duxit, legem siue statutum condere quo tum istius, tum futuri temporis Sacræ Theologiæ Professores iuramentô obstringerentur, ne quidquam docerent quod D. Augustino Diuoq; Thomæ, vbi

aperta eorum esset sententia, aduersaretur; vbi verò dubia & anceps, id sequerentur quod iuxta suum eorumúe, qui vtriusque discipuli habentur, sensum propiùs ad eorum mentem censerent accedere: exceptâ opinione de Immaculata Virginis Conceptione, quęque Iure Ecclesiastico immutata, vel immutanda, ac olim controuersa, Constitutionibus Apostolicis sunt definita.

Cùm verò Iesuitæ, & alij nonnulli, statutô tam salubri læsos se esse, arbitrarentur, idque conuellere & nullarum esse virium ostendere conati essent; Magister Basilius Pontius, Ordinis S. Augustini, Primariæ Sacræ Theologiæ, in eadem Vniuersitate, Cathedræ moderator, editô primùm Salmanticæ libellô, ac deinde Romæ & Duaci, præclaris elogijs vbique à Censoribus approbatô, argumentis ac rationibus irrefragabilibus perspicuum fecit: Vniuersitatem Salmanticensem, nihil pro nominis sui celebritate dignius, nihilque Ecclesiæ vtilius, magisque necessarium præstare vnquam potuisse.

Quas inter rationes, illa non infimum obtinet locum: "quòd ipsa temporis ratio deposceret eius-„modi decretum; vt nimirum noua dogmata in-„ducendi prurigo, eaque ad exemplum hæretico-„rum (contemptis Sanctorum Patrum & præser-„tim Augustini & Thomæ sententijs) stabiliendi „licentia compesceretur.

Quæ cùm ita sese haberent, ac interim Prædestina-

ſtinationis, diuinæ gratiæ, totiuſq; operis Redemptionis noſtrę materia, in tam varias & ancipites controuerſias manerent diſtracta; idque vnum conſtaret (tum ex antedicta Clementis VIII. ad Congregationem de Auxilijs præfatione, tum verò ex acri reprehenſione quam Ieſuitarum vnus, (nimirum Leſſius, Molinę imprimis ſectator) à Sixto V. retulerat; eo-quòd Auguſtini in ea materia doctrinam, omnium primus, in Academia Louaniéſi arrodere auſus fuiſſet) non minùs modernos quàm antiquos Pontifices, omnes haſce Controuerſias ad normam eiuſdem doctrinæ deciſas, velle: ita vt ipſi Ieſuitæ ſatis ex eo certi, *nouitia eorum dogmata ſubſiſtere haud poſſe, ſi crederentur D. Auguſtino aduerſari*; eundem viribus omnibus in ſuas partes pertrahere, & ad ſuas opiniones detorquere conarentur, adeoque magis quàm antèhac in incerto eſſet, quid reuera Sanctus Auguſtinus ſenſerit.

Teſte Henrico Henriquez lib. de vlt fine hominis c. 12 in commentarijs.

Cornelivs Iansenivs pro ingenio quo valebat, profundô admodum & perſpicaci, complurium annorum ſpatio, omne ſtudium omnemque operam adhibuit, vt genuinam in hac materia mentem veramque ſententiam erueret, tam intellectu difficilem, quàm ab humana ratiocinatione, Ethnicæq; Theologiæ principijs longiſſimè diſtantem.

Quòd cùm viginti annorum ſpatio, nempe quo Eccleſia, ductore Auguſtino, Pelagianos oppugnauit, præſtitiſſet, ſeque mentem ipſius aſſecutum

arbitraretur; existimauit, nihil Theologo dignius, nihil Deo, ipsique Sedi Apostolicæ gratius & Ecclesiæ vtilius se facturum, quàm si eam orbi Christiano exponeret, editô ad hoc librô quem proinde appellauit AVGVSTINVM.

Cùm verò id fieri non potuerit, nisi vnà subinde reprehenderetur illorum temeritas, qui Augustinum apertè oppugnare; & aliorum error, qui aliorsum eum extorquere præsumpserant. quàmquam summo Theologorum omnium, tum Sæcularium tum Regularium qui, ab omni partium studio & affectu vacui, librum perlegerunt, applausu sit exceptus.

Attamen Iesuitæ quorum, præcipuè in hac materia, detegebatur inscitia vel imprudentia, suam suorumque hîc agi existimationem rati, omni curâ & industriâ æstimationem ei, pretiumque detrahere sunt aggressi.

Quod vt consequerentur, imprimis posthumam Auctoris famam, clam & apud vulgus imperitum, filias præcipuè deuotas, fœdè parumque Christianè lacerarunt, asserentes *eum hæreticum fuisse: nec mirandum, si aliquando ossa eius exhumari, & comburi contingeret.*

Proposuerunt deinde ac publicæ luci dederunt librum Thesium, quæ non leuem Probis omnibus incusserunt stuporem; eo-quòd incredibile videretur, tantum in animis hominum Religiosorum,

iram

iram odiumque potuisse, vt *Impostorem*, *Calvini spiritu repletum* dicerent, ac alijs infinitis horrendisque contumelijs traducerent Doctorem celeberrimũ & Episcopum, nulli ex ordine eo postponendum: quemque constabat fuisse quondam Academiæ Louaniensis Lumen & Ornamentum; atque Vniuersitates Hispanicas in sui admirationem, tum vitæ & morum integritate, tum eruditionis excellentiâ rapuisse: & qui denique inuictâ pietate & constantiâ, hęreses Caluini præsertim aliosque errores, exemplô Magistri sui Augustini, indefessô studiô represserat, & Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ auctoritatem strenuè propugnarat,

Contra hasce Theses, pro Iansenij defensione mox quædam prodierunt; & rursus contra hæc, alia.

Ac Romæ intereà nihil intactum ac intentatum reliquerunt Iesuitæ, vt liber eius Apostolicâ Censurâ prohiberetur, proscriberetur, & damnaretur.

Pro-vt factum est, lato in eam rem Decreto [illegible]1. Augusti M. DC. XLI. eô prætextu, quòd aduersus Decreta Pauli V. & Vrbani VIII. prohibentia, *Ne quis tractatus, in materia de Auxilijs Diuinæ Gratiæ, absque Sedis Apostolicæ licentiâ edatur*, cum graui scandalo in lucem prodijsset.

At illam proscriptionem alij subreptitiam esse dixerunt.

Ea ſiquidem Decreta quæ violata eſſe aſſeruntur huius Libri editione, non tantùm non fuiſſe recepta; ſed nec vllam ſubfuiſſe obligationem recipiendi: quorum equidem neutrum ratione deſtitutum eſſe videtur.

Exſtant enim innumeri eâ de re Tractatus, abſque vlla Sedis Apoſtolicæ permiſſione poſtmodùm in lucem emiſſi, in Hiſpania, Germania, Gallia, & hiſce Prouincijs: nec tamen auditum eſt vel libros vel Authores, Cenſuram vel reprehenſionem tuliſſe; quàmuis nonnulli Eminen^mis Cardinalibus Nepotibus, ac Nuncijs Apoſtolicis, atque adeo ipſi Pontifici fuerint inſcripti.

Ac denique pro certo habetur, iam dicta Decreta numquam hîc fuiſſe legitimè promulgata.

Eſtque perpetuæ conſuetudinis, & ab omni æuo recepti moris, Pontificias Conſtitutiones in Belgio vim legis non habere, niſi ibidem fuerint promulgatæ: adeoque vt Belgas obſtringant, promulgationem Romæ factam non ſufficere; quidquid eâ de re, Iure communi diſputari poſſit.

Et illa quidem conſuetudo iſtius-modi eſt, vt Patriæ legibus (quas Rex eiuſque Prædeceſſores in ſua inauguratione ſeruaturos ſe iurarunt) accenſeatur.

Quæ cùm Ioannes Ianſenius, Furnenſis Canonicus, Cornelij Epiſcopi nepos, ad impetrandam promulgationis dicti Decreti ſuſpenſionem, do-

nec

nec Sedes Apostolica pleniùs instrueretur, Regi exposuisset; placuit, omnibus Belgij Episcopis, litteris ad eos datis, iniungere, ut in sua quisque Diœcesi inquireret, *An reuera Iansenij liber scandalum peperisset.*

Quod ego quidem, eô quô potui, studiô & fide præstiti, auditis omnibus qui de rei veritate videbantur potissimùm instructi, & ad ferendum in hoc negotio iudicium maximè idonei, ac inter alios, Superioribus & celeberrimis omnium Ordinum in mea Diœcesi Theologis; exceptis Iesuitis & Louaniensibus, quibus vtique audiendis, curam Academico Rectori SVA MAIESTAS commiserat.

Deprehendique, verè quidem occasione dicti libri non leuia exorta esse scandala, quæ tamen ipsi libro, iure imputari non possent; sed potiùs animositati & impotenti iræ, quâ eum aggressi sunt aduersarij, ac præcipuè Thesium antedictarum nimiæ insolentiæ, & acerbitati.

Deprehendi quoque, eorum qui Librum attentè peruoluerunt, hanc esse sententiam: vt scandalosus esse aut videri non possit, nisi doctrina sancti Augustini, tot Pontificibus, Concilijs, Sanctisq; Patribus probata, scandalosa simul esse iudicetur: vtpote cùm nihil præter ipsissima D. Augustini sensa contineat; & propositiones, quæ plùs cæteris agitantur & impetuntur, proprijs ipsius S. Doctoris verbis efferantur.

Denique

Denique tantum abesse, vt huius libri Lectores scandalum aliquod ex eo acceperint, vt etiam grauiores inter illos & primi Nominis, Deo gratias egerint, in ea se tempora incidisse, quibus contigit, præcipuos Fidei Catholicæ Articulos, & solidissima Christianæ humilitatis, pietatis, & amoris diuini principia, à S. Augustino olim tradita, primęuo suo splendori restitui.

Iesuitæ interim & tres Academiæ Louaniensis Doctores* (quos mirum sanè visum fuit, cum illis conspirasse eâ in causa, qua, prostratô Ianseniô, conantur erigere Molinam ab ipsa Facultate cuius hi sunt membra, non ita pridem tam graui Censurâ perstrictum) Romam pręter omnem veri speciem scripserunt, *Louanij Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. conculcari; propositionesque in ijs condemnatas, palàm restitui, eo-quòd à Iansenio renouatæ & assertæ conspicerentur: iamque, nisi tempestiuè obuiàm iretur, præ foribus esse Schisma, toti Ecclesiæ perniciosum.*

Ex hac grauiori notâ Liber Iansenij proscribitur, formatâ nimirum Bullâ cuius modò vrgetur promulgatio; causisque priori Censurâ expressis, hæc præterea additur: *in eo contineri, & cum graui scandalo Sedisque Apostolicæ contemptu, ac in Ecclesiæ perniciem renouari, & defendi multas propositiones, iam dictis Pij V. & Gregorij XIII. Constitutionibus damnatas.*

Verùm in eo vel maximè, qui Librum Iansenij probant, persuasum habuêre, Sanctam Sedem

fuisse circumuentam, ob rationes quæ postea referentur.

Cumq; prçterea non leuibus argumentis Bulla hæc in falsi suspicionem adduceretur, Academia Louaniensis binos ad Vrbanum Pontificem, vnum Theologiæ, alterum Iuris vtriusque, Doctores ablegauit, An vera esset, inquisituros; & si vera deprehenderetur, Sanctitati suæ causas sub & obreptionis exposituros.

Paucis postquam Romam appulerant diebus, Cardinalis Barberinus qui tunc illic omnia agebat & poterat, Abbatem S.tæ Anastasiæ, Pontificium in hisce partibus Ministrum, Aduersariorum Iansenij, egregium fautorem, de illorum aduentu certiorem reddidit, aperteque indicauit, *verendum non esse, ne quidquam in hoc negotio immutaretur.*

Euidens profectò argumentum animi prçoccupati constantisque voluntatis, dictam Bullam sustinendi, quidquid tandem contrà adduceretur.

In primo nihilominus ad Pontificem accessu, Sanctitas sua viuæ vocis oraculô expresè eis declarauit, " Non aliud se mandasse, quàm vt denuo ,,confirmaretur Bulla Pij V. à Gregorio XIII. antè ,,confirmata; sed & disertè cauisse, ne quis in di- ,,cta Bulla, propriô nomine expresô, sugilla- ,,retur.

De cuius rei veritate ambigi videtur non posse, cùm id ipsum ijdem Legati, Romæ adhuc existen-

tes, Libello eidem Pontifici exhibito, disertis verbis, inseruerint.

Nec enim credibile est, ausuros fuisse istiusmodi Viros, libellô quem Pontifici porrigebant, asserere rem tanti momenti ab eo dictam fuisse, si dicta non fuisset; & eâ quidem fiduciâ, vt hoc prætereа adderent, " mirum ergo videri, vnde in di-„ctam Bullam irrepserit nomen Iansenij.

Et quàmuis ea Pontificis declaratio, bonam futuri successûs spem faceret; in progressu tamen nihil aliud quàm constantis illius, nequidquam in eo negotio immutandi, voluntatis quam Cardinalis Barberinus litteris suis ad Abbatem S^{tæ}. Anastasiæ suprà adductis tam apertè indicarat, perpetua experimenta senserunt.

Apertè enim testatur Legatorum alter (alter Romæ obijt) quidquid apud Cardinalem fecerint, quidquid vrserint, numquam obtineri potuisse, vt liber Iansenij legitimè examinaretur, & cum Diui Augustini scriptis conferretur, vnde tamen præcipuè pendet Iansenij defensio: vt qui nihil aliud intenderit quàm explicare, & fidelissimè proferre Augustini sensa; nequaquam verò de eorum veritate aut falsitate quidquam statuere: vti pluribus locis palàm est testificatus.

Sed nec illud obtineri potuit, vt Bullam falsis extortam fuisse suggestionibus, argumentis in eam rem paratis, ostendere liceret.

Id tan-

Id tantùm concessum est, vt remedium aliquod exposcerent aduersus eos, qui occasione dictæ Bullæ D. Augustini auctoritatem in contemptum adducebant.

Valde præterea suspectum est, quod idem Legatus affirmat: Assessorem S.[ti] Officij Albisium, Bullæ Compilatorem (grauissimi haud dubiè criminis Reum, si quid in ea, à mente Pontificis alienum, expressisse deprehenderetur) omnibus deliberationibus & resolutionibus eâ de re habitis interuenisse.

Nota.

Quarum hic demùm fuit exitus: quòd (etsi Legati, vt nihil committerent in quo offendi Cardinalis Barberinus posset, neque ab eo datam sibi potestatem excederent, nihil aliud postulassent, quàm vt Obtrectatores D. Augustini compescerentur) post mortem tamen Pontificis, Decretum ijs insinuatum fuit, tam longè à precibus quas porrexerant, alienum, quàm his quæ Cardinalis Barberinus Abbati S. Anastasiæ, litteris paulò antè relatis, addixerat consentaneum.

Disertis enim verbis in eo refertur, & statuitur: *Porrectũ à Legatis fuisse supplicem libellum pro dictæ Bullæ veritate, & intentione suæ Sanctitatis circa illam indagandâ: ac vt huic petitioni satisfaceret, Pontificem mandasse, vt eius exemplum illis traderetur exactè cum Autographo collatum: ac simul significaretur eam suæ Sanctitatis mentem esse, vt præcisè Bulla obseruaretur, dubitationibus, difficul-*

 tatibus

tatibus, ac querelis hâc occasione exortis, vel exorituris perpetuum silentium imponendo.

INNOCENTIO X. ad Pontificatum euectô, Legatus superstes, rursus apud eum institit, vt Iansenij liber debito examini subijceretur, & cum S. Augustini scriptis conferretur.

Obtulitque & paratissimum se exhibuit, euidentissimis argumentis ostendere (quod & antè Vrbanô viuente in consessu Cardinalium aliorumque huius causæ Cognitorum obtulerat) "controuersiam quæ nunc inter Iansenium eiusque Ad-„uersarios agitatur, nihil omninò ab ea differre, „quæ fuit olim inter S. Augustinum & Pelagianos, „ac Semi-Pelagianos; nullisque Iansenium hacte-„nus impeti argumentis quàm quibus Pelagiani & „Semi-Pelagiani impugnarunt Augustinum.

Eâ quidem lege & conditione: vt si vel in vno articulo eum conuinci vel deficere contingeret, suis ipse manibus Iansenij librum, vltricibus flammis in acie Campi-Floræ traderet.

At nihil iterum obtinuit, sed nec eo minùs honorificè à sua Sanctitate habitus & dimissus fuit; gratijs certè haud vulgaribus donatum, fidem facit Pontificium breue, quod ipse vidi, ei postquam Româ excesserat, iubente Pontifice submissum: quo sua Sanctitas quid de eo censeret, quantoque illum affectu prosequeretur, pro fidelitate, obseruantiâ, & sinceritate erga Sanctam Sedem exhibitis, manifestè ostendit. Aduer-

Aduersarij Iansenij nouô hôc Decretô suffulti, omnia sibi aduersus Iansenium licere, quasi iam omninò prostratum, existimarunt: adeoque ipsi Augustino petulantiùs insultare cœperunt.

Ac trium quidem Doctorum quos suprà memoraui, vnus, è publica Cathedra iam antè, non sine graui Auditorum offensione, pronuntiarat *plures propositiones, quas Augustini esse fatebatur, ijsdem quibus ille has asseruerat, terminis, damnatas esse: Ecclesiam à D. Augustini Pedagogiâ liberari debere: D. Augustinum Doctorem fuisse, qualis ipse erat: D. Augustinum argumentis & obiectionibus Iuliani, Pelagianorum Coriphæi, non satisfecisse: D. Augustini Theologiam de traductione peccati Originalis, esse rusticam.*

Vtque deinde ostenderet, hæc omnia non leuiter ac incogitanter à se asserta, composuit suisque Discipulis dictauit tractatum singularem de diui Augustini auctoritate; ita nimirum eâque mente, vt quam tanto Patri auctoritatem Iansenius non ex ingenio suo, sed infallibilibus Pontificum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum testimonijs atque elogijs asseruerat, hanc ille eriperet, vel saltem imminueret.

Alter verò, cùm paratam in Iansenium haberet declamationem quam ne proferret, mandatô regiô vetabatur, *se quidem huic mandato pariturum; sed quæ in Iansenium composuerat, in Caluinum cõuersurum*, palàm edixit. nec quidquam deinde protulit præter pro-

positionum quàm-plurium è Caluino haustarum farraginem, intermixtâ non rarò verissimâ ipsius Augustini doctrinâ, ipsissimis eiusdem verbis.

Quidam Antuerpiæ Iesuita, Bullæ promulgationem diutiùs protrahi non ferens, eam ipse pro Concione ad populum proclamare ausus est; more quidem adeò insolenti totque congestis in Iansenium ejusque sequaces conuitijs, vt totum Auditorium grauissimè conturbaretur.

falsissima sunt.

Quod profectò videri non potest, ignorantibus, & improbantibus Superioribus, euenisse: cùm ille pluribus antè Concionibus, *rem planè nouam se paratam habere, populo exponendam*, edixerit, omnesque ad hanc audiendam studiosè inuitauerit; neque tamen intellectum sit, increpitum fuisse, aut castigatum.

Quin potiùs eadem conuitia diuersis alijs postea Concionibus repetijsse, hisque grauiora adiecisse; sed & perspicuis verbis asserere ausum, *nullam se Superiorum offensam metuere, quorum vtique voluntatem exequeretur.*

falsa.

Ac alium deinde Iesuitam eâdem in ciuitate eodemque pulpito, ad infringendam in materia de Gratia S. Augustini auctoritatem, multas illius Sancti in alia materia propositiones recitasse *quas esse falsas* aiebat, *& Catholicæ doctrinæ aduersari.*

Omitto quæ hac de re in Gallia aguntur, vbi Iansenius eo liberiùs & audaciùs proscinditur, quòd

præ-

præclari illius libelli cui nomen, MARS GALLICVS, Auctor esse censeatur; quocum hactenus nihil ad asserenda Hispanicæ Monarchiæ iura ac pręcellentiam, & armorum iustitiam solidiùs, ita nil vnquam Franciæ rebus magis exitiosum, prodijsse visum fuit.

Neque negligunt Iesuitæ (ut publicum aduersus defuncti memoriam eiusque sequaces concitent odium) scriptis omnibus quæ in hac materia euulgant, summo studio id-ipsum inculcare.

Idque nullâ Bullæ controuersæ reuerentiâ, quæ vtiq; non minùs seuerè aduersus Iansenium, quàm pro Iansenio scribi vetat.

Vtque constet quàm apertè huic Bullæ illudant, eam vnà cum Thesibus (quas suprà retuli) eâdem cum Iansenij libro prohibitione expresè comprehensis, Parisijs excudi curarunt; dum hîc eorum socij, ac præcipuè iam-dictus Concionator Antuerpiensis publicis declamationibus, *infelices armorum regiorum successus, Bullarum Apostolicarum contemptui adscribunt.*

Ac præterea quàm ipsi religiosè Bullam obseruent, euidens quoque argumentum est, infamis falsô nomine Antonij Richardi, iam tertiò excusus liber cuius Authorem fuisse Iesuitam non dubitatur; quin-imò Belgam, non leuis est suspicio.

Hôc sanè librô quo in tanta eorum copiâ, quæ aduer-

aduersus Iansenium edita sunt, nihil vnquam prodijt acerbius; Illustris ille Præsul fœdiùs quàm vnquam Lutherus, aut Caluinus discerpitur: pudendi vt-plurimùm latrocinij ac plagij accusatur, *quasi quæ primùm Caluinus in Augustino deprehendisset, ipse suâ industriâ ex Augustini scriptis eruta profiteretur: eiusque deinde sequaces*, dum aliùnde ad Bullæ obseruationem premuntur, *apertè ad respondendum prouocantur; ac ita quidem, vt si tacuerint, pro conuictis sint habendi.*

Sed & postremæ editioni accessit ad Principem Condæum, præcipuum in Gallia Iesuitarum hôc præsertim rerum statu Protectorem & Mæcenatem, Epistola vilissimis & abiectissimis adulationibus referta, quâ disertè exprimitur, *Iansenium Ecclesiæ doctrinam conuellere molientem, cùm Francorum Reges, Catholicæ veritatis propugnaculum, Columnam, Scutum, & esse, & à Romanis Pontificibus appellari non ignorarit; propugnaculum illud exscindere, columnam euertere, scutum perrumpere conatum esse: ac experiri voluisse in Gallica Maiestate, quid in Apostolicam posset; & Ecclesiæ oppugnationem ex primò-geniti filij iniurijs auspicari.* Verùm *vt duplici ingenij sui fœtu* (Marte nimirum Gallicô & Augustinô suô) *prouidit, vt etiam post fata vtramque oppugnaret; sic geminâ prole effecisse Condæum, vt cùm hunc Superi repetent, eius neutra patrocinium excideret: diuisisse Iansenium se-ipsum in libros tamquam in liberos, ac primò-genitum quidem Galliæ hostem esse voluisse, alterum Catholicæ veritatis inimicum; Condæum verò virtutes suas*

partiri in filios : & maiorem natu, Galliæ scutum ; minorem verò, Ecclesiæ Columnam designasse : hosque ea parentis vota sic implere, vt ijs publica vox ea ipsa nomina iam imposuerit, quæ Iansenius Operibus suis falsò inscripserat : Ludouicum, totius Europæ iudicio, MARTEM GALLICVM ; *Armandum*, octodecim annorum adolescentem, *Gallicani Cleri suffragio*, AVGVSTINVM *haberi*.

Nec eo minùs tamen hic liber cum hâc ipsâ Epistolâ publicè Louanij venum exponitur, & ab ordinario quidem Iesuitarum Bibliopolâ.

Ac interea liber Iansenij, nullibi Gentium, feruentiori zelô & alacritate defenditur, quàm in Gallia, maiori & saniori Episcoporum ac Theologorum parti gratissimus probatissimusque, tamquam & fidelissimus mentis D. Augustini Interpres : pro-ut testimonijs fide dignissimis comperi.

Sed neque Academiam Parisiensem, neque Episcoporum aliorumque Prælatorum totius Gallicani Cleri nomine ibidem habitam Congregationem, adduci potuisse, vt dictam Bullam reciperent, Principe Condæo, Cancellarioque Franciæ (pari affectu, Iesuitarum Causæ fauentibus) ac deinde Cardinale Grimaldi eiusque in Nuntij Apostolici munere successore, & ad horum omnium preces ipsâ Reginâ, nequidquam vrgentibus.

Quin-imò Regina (postquam Nuntio Apostolico litteras dederat, prædictæ Academiæ simul cum Pontificio Breui tradendas, quibus Bullam

hanc ſine mora recipi, ſeuerè iubebatur) ex grauiſſimis quæ inde naſcerentur, periculis & incommodis monita, eas confeſtim reuocauit, & ab inſtituto deinceps deſtitit.

Neque minora ſanè mala & incommoda, vt ego quidem arbitror, in hiſce partibus ſunt pertimeſcenda.

Valde enim veriſimile eſt, Ianſenij librum nihil præter meram doctrinam veriſſimaque D. Auguſtini ſenſa continere.

Cùm id conſtantiſſimè aſſerant, non ij tantùm qui Ianſenij defenſionem ſuſceperunt; ſed & alij innumeri, tum Sæculares, tum ex omni ordine Regulares, præclariſſimi Theologi.

Neque ex adverſo, ne in unico quidem articulo, qui Ianſenium oppugnant, hoc eorum iudicium refellere potuerint: ſed neque eò adduci, vt eâ de re Collationem inſtituerent; quàmuis ſæpiùs ad hoc rogati, & prouocati.

Cumque interea *librum eius erroribus hæreſibusque ſcatère, ac vt hæreticum dictâ Bullâ proſcriptum condemnatumque eſſe*, vbiq; ſpargant, & vno ore proclamant; ambigendum non eſt, quin illius Bullæ promulgatione & receptione, hæretici quibus hîc vndique cingimur, in ea opinione quâ pro ſe Auguſtini, adeoque tot Pontificum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum ſententiam ſtare putant, pertinaciùs ſint obfirmandi; eamque Bullam ita ſint acce-

cepturi,

cepturi, vt nullum ſibi potentius telum, ad infringendam S. Sedis totiuſque Eccleſiæ infallibilitatem, ſubminiſtrari poſſe exiſtiment.

Iamque apud Hollandos eo ſolo intuitu in eorum Idioma, à fide dignis admoneor, conuerſum eſſe Ianſenij librum typiſque mandatum; vbi primùm conſtiterit, Bullam vbique eſſe receptam.

Ac prætereà non mediocriter verendum, ne Catholicis quoque infirmioribus perſuadeatur, hæreticorum doctrinam auctoritate S. Auguſtini ſubnixam; illique hoc argumento ſeducantur, præſertim vbi intellexerint, inter tot Patres qui Auguſtini doctrinam ſunt amplexi, S. Bernardum adeò tenaciter ei adhæſiſſe, vt apertè profiteretur, ſe cum illo ſapere, aut errare. Bernard. epiſt. 77. ad Hugonem de Sancto Victore.

Neque minus ſubeſt periculum, ne Bulla hæc quæ pacis & tranquillitatis in Eccleſia conſeruandæ ſtudio condita eſt, effectus planè contrarios producat; eaque inde Schiſmata reuera oriantur, quæ Summo Pontifici perſuadere nonnulli voluerunt *oritura, niſi liber Ianſenij ſupprimeretur.*

Nam (ſi eius Aduerſarij nullo alio, quàm hâc Bullâ, innixi fundamento, à concitandis tot turbis dictoque libro tam proteruè impetendo, compeſci nequeant) omninò exiſtimo longè difficiliùs contineri poſſe eos qui librum probant, tot vtique Pontificum, & Conciliorum auctoritate (vt certò ſibi perſuaſum habent) munitos.

 Et ſi

Et si ea Bullæ esset sententia quam asserunt Aduersarij Iansenij; omnium maximè verendum existimarem, ne tandem reuocetur, & pari atque olim animorum motu agitetur antiqua illa Controuersia, An in causis Fidei à Pontifice ad futurum Concilium prouocare non liceat.

Ac interea penè certum habeo, quidquid vrgeatur Bullæ executio, eam minimè obseruandam: adeoque ab illius promulgatione nihil aliud expectandum, quàm vt Pontificia Regiaque Auctoritas in discrimen contemptûs abducatur.

Qui enim librum Iansenij probant (hi verò alijs, & numero & auctoritate longè sunt superiores in mea saltem Diœcesi) eam nullam esse, & inualidam prorsus non dubitant.

Certoque credunt, & intrepidè asserunt, fraude, importunitate, falsisque suggestionibus extortam, iisdem planè artibus sustentari, ac præcipuè potentiâ Albisij à quo contra mentem Pontificis compositam esse existimant.



Nec profectò credibile esse, Sanctitatem suam induci se passuram ad proscribendum eum librum, in quo perspectum haberet, nihil aliud contineri, quàm doctrinam toties à Prędecessoribus suis approbatam; quamque eorum vnus haud pridem disertè professus esset, Ecclesiam, quasi iure hereditario suam fecisse; omniumque Controuersiarum in ea materia quam liber ille tractaret; definienda-

niendarum regulam ac normam esse voluisset.

Credunt etiam, & intrepidè asserunt, causas proscriptionis, falsa Aduersariorum esse commenta.

Cumque Decreta illa quibus vetitum fuit, *nullum sine permissione Pontificis, in dicta materia tractatum edi*, vim legis non habuerint; editione dicti libri, Pontificiæ legi contrauentum fuisse, dici non posse.

In ijs quæ sunt facti, haud dubiè Pontificem (pro-ut cæteri omnes) decipi posse & circumueniri.

An verò quasdam propositiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas, in contemptum Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ perniciem renouet, & defendat Iansenius, facti quæstionem esse; & quidem istius-modi, vt veritas sensu percipi queat.

Inspicienda tantùm sunt loca quibus iam dictæ propositiones tractantur; ac ipso aspectu palàm futurum, tantum abesse, earum aliquam in Apostolicæ Sedis contemptum, & Ecclesiæ perniciem renouari & defendi, vt potiùs eas omnes iure damnatas, vel proscriptas fuisse, Iansenius disertè asserat.

Hoc solùm ab eo agi, & quidem summâ erga Sanctam Sedem reuerentiâ & veneratione, vt appareat, quo sensu harum nonnullæ traditæ sint ab Augustino; quoúe alio sensu, & quas ob causas damnatæ fuerint, vel proscriptæ.

Ac vt ex eo ostenderet, Constitutionibus Pij V.

 & Gre-

& Gregorij XIII. (quæ ipsæ declarant expresse "quasdam propositiones ibidem expressas, in rigo-„re & propriô sensu ab Auctoribus intentô susti-„neri posse") veram & genuinam S. Augustini doctrinam, nullo pacto lædi, neque Modernos Pontifices ab Antiquis dissentire.

In eo verò, plerorumque Iesuitarum exemplum secutum esse aiunt, quos vtique constat pro quarundam propositionum defensione, quas veras & Catholicas esse negare non poterant, simili interpretatione ad argumenta, ex dictis Constitutionibus exprompta, respondisse; quin-imò minori cum respectu & reuerentiâ: cùm tamen nemo eorum eâ de causa fuerit reprehensus.

Et quàmuis hęc omnia Legati Louanienses Romæ exposuerint; cùm tamen ad probationem toties oblatam numquam fuerint admissi, neque impetrare potuerint, vt liber Iansenij debitè examinaretur, & cum scripturis D. Augustini conferretur, alijsque suprà-dictis sine effectu & studio perpensis; eos legitimè auditos fuisse, ac negotium hoc, pro-ut Ius & Ratio exigit, discussum neutiquam dici posse videtur.

Quæ sanè rationes, aliæque ex præmissis facilè deducendæ, adeo graues mihi visæ sunt, vt omninò crediderim, non solùm licuisse; verùm etiam obstrictum me fuisse, à promulgatione dictæ Bullæ supersedêre: cùm non vno Iuris loco statuatur,

sitque

sitque receptissima tum Theologorum, tum Iuris-Consultorum omnium sententia: Mandata Pontificum Principumque exequenda non esse, si verisimile sit, prauis ea suggestionibus fuisse obtenta; vel eorum executio sine scandalo, manifestâ iniustitiâ, aut aliô graui Reipublicæ incommodô fieri nequeat.

Idque locum habere intelligitur, etiam post secundam iussionem; quin-imò tantisper, donec suam Sanctitatem de eiusmodi incommodis ijsúe quæ falsò suggesta prætenduntur, plenè edoctam fuisse constiterit.

Ad hoc autem requiri censetur LEGITIMA ET EXACTA CAVSÆ COGNITIO, citra quam SECVNDA IVSSIO dici non possit ACTVS ABSOLVTI IMPERII, ET ENIXAE VOLVNTATIS; sed potiùs NOVÆ, AVT EIVSDEM quâ prima existimatur exorta CIRCVMVENTIONIS EFFECTVS.

Neque desunt, qui Bullas Pontificias, etiam in materia Fidei & doctrinæ licitæ, suspendi posse existiment.

Ita sanè expressè sentit & docet Ioannes Driedo, Louaniensis quondam Doctor, & moribus & Sacræ Theologiæ professione insignis, teste Archi-Episcopo & Præside Couarruuiâ, qui dum agit de materia suspensionis Bullarum Apostolicarum, auctoritatem eius cum hoc Elogio adducit, & probat doctrinam.

Driedo de libertate Christiana lib. 2. c. 2.

Couarruuias pract. quæst. c. 35, num. 4.

Ratio


"Ratio Driedonis hæc eſt: etiam in his quæ ad
„Fidem ſpectant, vt omninò recta credenda ſit
„Pontificia Deciſio, multa requiri; hæc verò Pon-
„tificem omittere, & proprio ſenſui propriæque
„prudentiæ inniti poſſe.

In ſpem igitur certam inducor, non ægrè laturam MAIESTATEM SVAM, quòd huc-vſque Bullæ promulgationem ſuſtinui; quin-imò interpoſitura ſit Regiam ſuam Auctoritatem apud Sedem Apoſtolicam, vt cauſa quâ nulla grauior atque Inquiſitione dignior incidere poteſt, iuſtè ac legitimè cum omni integritate & æquanimitate diſcutiatur: vt-pote in qua vertitur honor & exiſtimatio ſummi in Eccleſia Doctoris, Auguſtini, occaſione dictæ Bullæ, maiori quàm antè-hac vnquam temeritate impetita; idque in ea materia in qua ipſe tot Pontificum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum teſtimonio acceptus, adeò ingenij ac doctrinæ dotes potiſſimùm exeruit, deque infeſtiſſimis Eccleſiæ hoſtibus planè triumphauit. Agitur præterea nomen & fama doctiſſimi pariter ac ſanctiſſimi, ætate noſtrâ, Epiſcopi, qui(cùm hæreticorum acerrimus ſemper fuerit hoſtis ac ſtrenuus debellator) tum publicè tum priuatim hęreſeos aſpergitur labe, magnum haud dubiè, dictæ Bullæ promulgatione & executione, in credulorum hominum animis incrementum accepturâ. Agitur quoque exiſtimatio tot Illuſtrium Prælatorum ac

Cele-

Celebrium vbique Theologorum, qui luculentiſſimis Approbationibus, Teſtimonijs, & Elogijs librum eius dignum cenſuerunt; quoſque proinde difficile fuerit eandem hæreſis notam, vel ſuſpicionem omninò effugere. Agitur deinde de innumeris ſpectatæ probitatis & doctrinæ cuiuſlibet Ordinis Religioſis, intempeſtiuâ & periculosâ coactione adigendis, vt eum è manibus eripi ſibi patiantur librum, in quo certò exiſtimant, ſe principia diuini amoris & Chriſtianæ humilitatis, ex puriſſimis Sacrarum Scripturarum fontibus à D. Auguſtino hauſta, percepiſſe. Agitur poſtremò de ipſius Sedis Apoſtolicæ Eccleſiæque Catholicæ auctoritate & infallibilitate, maioribus quàm vnquam antea, animis viribuſque ab Hæreticis oppugnandâ, cùm eam promulgari ac vbique recipi viderint Bullam, quâ tot præclariſſimi Catholiciſſimique Theologi perſuaſum omnino habent, grauiſſimè lædi & acerbâ Ianſenij proſcriptione non poſſe non inuolui doctrinam S. Auguſtini, à quàm-plurimis olim Pontificibus, Concilijs, Sanctis Patribus & totâ Eccleſiâ probatam & receptam.

FINIS.



Fol. 27. lin. 6. Ianſenij librum typiſque mandatum; vbi primùm *lege,* Ianſenij librum; typiſque mandandum, vbi primùm.